M. Zuerio Boxhornio.

Amplissime ac Doctissime vir. (423)

Tametsi me silentio multas, nimis hoc nunc pertinaci
et ingenii quidem tui non unos foetus vulgare sustines
me nec ut ~~hic~~ olim teste nec participe, quod meminisse
2. non recordor, certum est perstare in veteris amicitiae
nexu, et hanc meam demum tibi obtrudere vel invito
documento sit, quod paratum prelo Poematium, ut qui-
dem liberis meis, et amicis visum est, nonnuper nolui
lucem publicam videre te inconsulto. Si tantum tibi
abs re tuâ est otij, inspice aut percurre, neque
adeo celatum velis siquid est cujus me praemonen-
dum censeas. ὃ δὲ ποιεῖς ποίησον τάχιον, si me
amas, qui integerrimo affectu sum

Tuus.

9. Octb. 1652. C. H:

M. Zuerio Boxhornio.

Amplissime ac doctissime vir. (424).

Pro munere certè insigni, et verbis item nimis quam
humanis, ad me misso, si grates gratias dixero. vide-
bor tamen hoc egisse ut grandem librum scilicet, ex
3 autoris dono lucri facerem. Testor verò amiciti-
am ipsam nostram, quam magni aestimo, frustrà
te esse, ~~qui~~ si hoc suspicaris. Historiam enim hanc
Universalem, quia universo datam, censui non
Hagae minus quam Lugduno scriptam, et in praetio cum
sit mihi quidquid a te prodire pateris, pridem praetio
acquisita in Musaeo meo fulserat velut inter ignes
illa minores. Siquid objeci de scriptis a te vulgo, non
mihi oblatis, potuit hoc verbi excudere tenella, quam
nosti, inter veteres amicos suspicio amicitiae labas-
cantis. Aliò certè non respexi Mi Boxhorni, neque
respecturus sum, quam diu Bibliopolae vivent, et
exiguo aere vel auro parabiles erunt illustres chartae
quas abunde sufficit semel illis a tam praeclaris
autoribus traditas esse. Quid porrò tibi cum illis
mortalibus commercii intercedat, magnoperè scire velim.

Nimirum

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 151v-152r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5254

Nimirum à Septentrione tuo, quando nobis tandem
oriturus es? et ubi illa Scythia est, quam tot nunc an
nos polliceris? an aliæ te subliminiores curæ distinent?
Neque enim fieri posse arbitror ut vel otiando nihil
agas, vel diem sine lineâ numeres, quam aliquando
publicæ utilitati imputes. Hisce de rebus, quæso te
facito me certiorem, ac deinde de hâc alterâ, quæ me
commovit, nempe quo loco res sint magni et communis
amici, quem nosti; non constare sibi totam illam egre
giam mentem, ante menses acceperam. Nuper inaudivi
ἀνεχτώτερον ἔχειν. Ejus rei te testem unicum
præ ingenti turba optaverim, et indicare inter nos
quâ par est libertate, num opportunè literas ad eum
daturus videar, et Poema item hoc, quod inspexisti com
municaturus. Adfuit mihi denuò Elzevirius, qui ad
hanc editionem se accingit, cui fateor me audacius
assentiri eo quo te censorem adhibui, et expertus sum
non severum. Interim penuriâ Chartæ Officina laborat
per hoc infame cum vicinis bellum. hæc nos remora
paulisper suspendet. Adde quod me quoque invaletudo
totum hunc mensem dejecit ἀπύρετος quidem illa,
sed tamen sontica, et à contumaci catarrho, qui per
petuas mihi aurium tinnitus et, et subinde surdita
tem ipsam parit, supra quam dici potest molesta
cum nec repetitis venæ sectionibus, neque crebra eva
cuatione, neque ipsis frequentissimis balneis extirpari
patiatur. quæ res quanto mihi tædio et fastidio sit
intra domesticos parietes plerumque incluso facilè
judicabis. Ferenda sunt hæc tamen ab illius manu
cui quotidiè dico, fac servo tuo Domine, secundum
misericordiam tuam. Interim dum negociis nequeo
studiis, quod abundè sic horarum suppetit, identidem
impendo. atque hinc est quod tu quoque vir Clarissime
ab otioso homine interpellatus fuisti, cum id fortasse
minus expectares. Ignosces tamen quando te extra
oleas tuas non abduxi, quæ studia sunt utique et
literarum commercia. In hisce, ut quamdiutissimè
ac felicissimè verseris et vivas ex animo voveo.
Scrib: Hagæ Comitis — Novemb: CIↃIↃCLII.

Westerbanio